

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVIII - N. 2

1996

COMMUNICATIO NES

PONTIFICIUM CONSILIO M
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1996

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCATIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis Germaniam invisitantis ad Praesules Episcoporum Conferentiae Eiusdem Nationis	171
--	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia SS.mi	175
---	-----

ACTA CONSILII

NOTAE EXPLICATIVAE

Assoluzione generale senza <i>previa confessione individuale</i> . Nota explicativa quoad can. 961	177
Obbligo del Vescovo di risiedere in Diocesi. Nota explicativa quoad can. 395 CIC	182
ALIAE QUAESTIONES STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	187
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	190
SYNTHESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO	191

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio VII)	237
Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio VIII)	262
Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio IX)	303
Notitiae	327
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	330

III
COETUS STUDII
«DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO»
Sessio IX
(dd. 3-7 mensis maii 1976 habita)

Diebus 3-7 maii 1976, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, habita est Sessio Consultorum qui Coetum Studii efformant ad recognoscendos canones CIC «De Magisterio Ecclesiastico».

Conventibus partem habuerunt Exc.mi quattuor atque tres Rev.mi et unus III.mus Consultores.

Exc.mus D. Rosalius Castillus Lara, Commissionis Secretarius, munere Praesidis et Rev.mus D. Guillelmus Onclin munere Relatoris functi sunt.

Aliquis conventibus adfuit etiam E.mus Card. Praeses Commissionis, Pericles Felici.

Rev.mus D. Marianus De Nicolò, adiutor a Studiis Commissionis, acta rededit.

Materia propria in hac sessione pertractanda est continuatio recognitionis canonum Magisterio, qui iam pluries sunt revisi.

Initium sumitur a can. 15, de institutione clericorum, cuius textus, a Rev.mus Relator in anteacta sessione propositus, nunc examini sibicitur. En textus:

Can. 15 (novus)

Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis et pastoralis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iidem maturitatem humanam, uniuscuiusque indoli convenientem, assequantur insimulque spiritu Evangelii reapse imbuantur. (cfi Conc. Vat. II, Decr. *Op-tatam totius*, n. 4; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 8, 11 et 12).

Exc.mus primus Consultor objectionem movet quia in textu prius sermo instituitur de maturitate humana tanquam finis principalis totius formationis dein de spiritu Evangelii.

Disceptatio sat longa instituitur cuius in fine Rev.mus Relator proponit ut post «ad id ordinentur» dicatur «ut iidem iuxta uniuscuiusque indolem una cum debita maturitate humana spiritum Evangelii acquirant adeo ut apta instrumenta Christi sacerdotis efficiantur». Placet.

Can. 16 (novus)

§ 1. Spiritualis institutio ita impertiatur ut alumni fide viva evangelicae caritate qua emineant apti sint qui ministerium pastorale fructuose exerceant; ad spiritum missionalem efformentur discentes ministerium in caritate semper impletum ad propriam praecipue sanctificationem conferre; illas excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt et ipsa caritate christiana requiruntur, ita quidem ut ad harmonicam conciliationem bona humana inter et supernaturalia pervenire valeant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, nn. 8, 11; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 3; *Ratio fundamentalis*, nn. 44, 45 et 51).

§ 2. Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi reipsa sint imbuiti, Pontifici Romano Petri successori humili et filiali caritate devincti atque proprio Episcopo tanquam fidi cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis excultam praeparentur ad unionem communitatis dioecesani Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, nn. 8 et 9; *Ratio fundamentalis*, nn. 47 et 49).

Ad § 1: Post disceptationem, omnibus consentientibus, textus ita corrigitur: «Institutio spiritualis ita... ut alumni apti fiant qui ministerium... exerceant et ad spiritum... ministerium in fide viva et in caritate impletum ad propriam aptius sanctificationem... pluris fiunt, ita quidem ut ad conciliationem...».

Ad § 2: Placet, dempto verbo «reipsa».

Can. 17 (CIC 1367)

§ 1. Celebratio Eucharistica, quae communione sacramentali consummatur, centrum sit totius vitae Seminarii, ita ut cotidie alumni, ipsam Christi caritatem partecipantes animi robur pro futuro apostolico labore et pro sua vita spirituali ex hoc ditissimo praesertim fonte hauriant (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 52).

§ 2. Formationi ad cultum Eucharisticum iungatur formatio ad divinum officium, quo Dei ministri, nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecentur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 5; *Ratio fundamentalis*, n. 53).

§ 3. Institutionis Sacerdotalis Ratione foveantur etiam quae venerando Ecclesiae usu commendata sunt pietatis exercitia quibus alumni spiritum

orationis acquirant atque vocationis suae robur consequantur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 8).

§ 4. Ad Sacramentum Paenitentiae frequenter accedere assuescant alumni, et unusquisque habeat directorem spiritualem, libere quidem electum, cui confidenter conscientiam aperire possit (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 55).

§ 5. Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent, ratione et modo in Ratione Institutionis sacerdotalis determinatis.

Placet § 1, tamen loco « pro sua vita » dicatur « pro vita sua ».

Placet § 2.

Ad § 3: Placet, demptis verbis « Institutionis sacerdotalis Ratione ».

Ad § 4: Placet.

Ad § 5: Dicatur tantum « Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent », caeteris demptis.

Can. 18 (novus)

§ 1. De officiis et oneribus quae ministris sacris Ecclesiae propria sunt alumni debite reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita.

§ 2. Ad servandum statum coelibatus, quem qui libere amplectantur soli in Ecclesia latina ad sacerdotium admituntur, congrua educatione praeparentur eumque ut peculiare Dei donum in honore habere discant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 10; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16. Paulus VI, Encycl. *Sacerdotalis coelibatus*, 24 iun. 1967: *AAS*, 59, 1967, pp. 657-697).

Placet.

Can. 19 (novus)

Institutio doctrinalis tradenda id intendit ut alumni, una cum cultura generali necessitatibus loci ac temporis consentanea, amplam atque solidam acquirant in scientiis sacris doctrinam, ita ut, propria fide inde fundata et nutrita, Evangelii doctrinam hominibus sui temporis apte atque ratione eorundem ingenio accommodata nuntiare valeant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, nn. 13-17; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 58, 62; Decr. *Ad genetes*, n. 16, *Ratio fundamentalis*, n. 59).

Placet.

Can. 20 (CIC 1364, 2° et 3°)

§ 1. Licet alumni, ad normam can. 4 § 3, ad Seminarium accedere valent tantum post adeptam humanisticam et scientificam formationem, haec eorundem formatio, prout id expedire videatur, prioribus praesertim curriculi studiorum annis, in Seminario compleatur, secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis.

§ 2. Eadem Institutionis sacerdotalis Ratione provideatur ut alumni non tantum accurate lingua patria sint edocti, sed ut congruam habeant cognitionem linguae latinae necnon alienarum linguarum, quarum scientia ad eorum formationem, temporis ac loci adjunctis convenientem aut ad ministerium pastorale futurum exercendum necessaria aut utilis videatur.

Ad § 1: Exc.mus secundus Consultor proponit ut sequens, vel similis, propositio in textu inseratur: «quod si hac in formatione, in aliquibus casibus, quaedam desint ad studia philosophica et theologica necessaria, eadem praeparatio, prioribus praesertim...».

Post disceptationem, observatione Exc.mi secundi Consultoris, attenta, textus ita probatur: «Licet... can. 4 § 3, ordinarie ad Seminarium... formatio praesertim si quae deficiant, prout id... compleatur aut tradatur, secundum...».

Placet § 2.

Can. 21 (CIC 1365)

Quae in ipso Seminario ordinantur studia philosophica et theologica, iuxta Institutionis sacerdotalis Rationem, sive successive sive coniuncte peragi possunt; eadem completum saltem sexennium complectantur, ita quidem ut tempus philosophicis disciplinis dedicatum integrum biennium, tempus studiis theologicis deditum integrum quadriennium adaequet (cf. *Ratio fundamentalis*, nn. 60, 70 et 76).

Placet.

Can. 22 (novus)

Incipiente curriculo studiorum philosophico-theologicorum, alumnis tradatur introductio generalis, per congruum tempus protracta, qua quidem, disciplinis philosophica et theologica apte compositis, alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem ac finem pastoralem addiscant simulque ad propriam vitam universam fide fundandam iuventur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 14. *Ratio fundamentalis*, nn. 61 et 62).

Exc.mus secundus Consultor post «disciplinis... apte compositis» proponit ut verba Concilii addantur «mysterium Salutis ita proponatur...».

Propositio valde disputatur et controversia per suffragium solvitur. Maioritas suffragiorum tenet quod textus remanere potest prout iacet.

Can. 23 (novus)

Philosophica institutio, quae innixa sit oportet patrimonio philosophico perenniter valido, cuius magistri et testes praesertim sunt praeciali philosophi christiani, sed et rationem habeat requiritur philosophicae investigationis progredientis aetatis, ita tradatur ut alumnorum formationem humanam reapse perficiat eorumque mentis acutiem provehat, atque eos ad studia theologica perficienda necnon ad ministeria apostolica obeunda aptiores reddat (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 15; Const. past. *Gaudium et spes*, nn. 44, 59; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Decr. *Ad gentes*, n. 16).

Placet, dempto verbo «reapse».

Can. 24 (CIC 1365, § 2)

§ 1. Institutio theologica, in lumine fidei, sub Magisterii ductu, ita impertiatur, ut alumni integrum doctrinam catholicam, divina Revelatione innixam, percognoscant, propriae vitae spiritualis reddant alimentum eamque, ministerium exercentes, rite annuntiare ac tueri valeant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 16).

§ 2. In Sacra Scriptura, quae universae theologiae veluti anima esse debet (cf. Leo XIII, Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: ASS. 26, 1893, p. 283), peculiari diligentia erudiantur alumni; congrua praevia introductione praemissa, methodo exegeseos initientur ac ita edoceantur ut totius Sacrae Scripturae conspectum acquirant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 16; Const. *Dei Verbum*, n. 23, *Ratio fundamentalis*, n. 78).

§ 3. Lectiones habeantur theologiae dogmaticae, positivae atque speculativae, Verbo Dei scripto, una cum Sacra Traditione semper innixa; itemque lectiones theologiae moralis et pastoralis, liturgiae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici necnon aliarum disciplinarum auxiliarium atque specialium, ad normam praescriptorum Institutionis sacerdotalis Rationis (cf. Const. dogm. *Dei Verbum*, n. 24; Decr. *Optatam totius*, n. 16).

Ad § 1: placet, sed ex propositione Exc.mi secundi Consultoris verba «ministerium exercentes» mutantur cum «in ministerio exercendo».

Ad § 2: placet. Ex propositione Exc.mi tertii Consultoris tollitur verbum «*praevia*» et citatio Encycliae in fontes remittitur.

Ad § 3: placet, sed «*ius canonicum*» ante «*liturgiae*» collocandum est.

Can. 25 (CIC 1366)

§ 1. Ad magistri munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ab Episcopo aut ab Episcopis quorum interest, auditio coetu deputatorum Seminarii, de quo in can. 8 § 3, 1º necnon eiusdem Rectore et Professorum collegio, ii, ceteris paribus, nominentur qui laurea doctorali potiti sunt in Universitate studiorum aut Facultate a Sancta Sede recognita, aut si agatur de Religiosis, qui ad normam Constitutionum licentia docendi donati sunt (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 33).

§ 2. Distincti totidem nominentur magistri ad docendum Sacram Scripturam, Theologiam dogmaticam, Theologiam moralem, Historiam ecclesiasticam, Ius canonicum aliasque, quae propria methodo tradendae sunt, disciplinas.

Ad § 1: Placet, sed post «laurea doctrinali» adiungatur «vel saltem licentia». Et verba «aut si agatur... donati sunt» supprimantur.

Ad § 2: Post discepcionem, maioritas Consultorum, ne regulae ponantur quae postea non acceptentur, praefert ut in textu dicatur: «Curent ut distincti... Theologiam moralem, Philosophiam, Ius canonicum, Historiam ecclesiasticam aliasque...».

Can. 26 (novus)

§ 1. Magistri in disciplinis tradendis de intima universae doctrinae fidei unitate et harmonia iugiter solliciti sint, ut unam scientiam alumni se discere experiantur; quod ut aptius obtineatur, adsit in Seminario qui integrum studiorum ordinationem moderetur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 5, 17; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 16).

§ 2. Curent ut universa institutio doctrinalis tradatur ratione ingenio ac indoli uniuscuiusque populi propriis accommodata.

§ 3. Edoceant alumnos ita ut ipsi habiles fiant qui aptis investigationibus propriis quaestiones scientifica methodo examinent; instituantur igitur exercitationes, in quibus, sub moderamine magistrorum, alumni proprio labore studia quaedam persolvere discant.

Placet § 1.

Supprimitur § 2.

Ad § 3: Exc.mus Secretarius praferret quod suppressa remaneat ista § 3, cum non pertineat ad Codicem methodum laboris scientifici determinare.

Contradicit Rev.mus Relator qui tenet hanc § remanere debere.

Controversia per suffragium solvit: 7 Consultores praferunt ut § 3 remaneat prouti est.

Can. 27 (novus)

Licet universa alumnorum in Seminario formatio pastoralem finem persequatur, institutio stricte pastoralis in eodem ordinetur, qua alumni edoceantur quae, attentis quoque loci ac temporis necessitatibus, ad ministerium Dei populum docendi, sanctificandi et regendi exercendum pertinent principia et artes (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 4).

Placet.

Can. 28 (novus)

§ 1. Diligenter instruantur alumni in iis quae peculiari ratione ad sacram ministerium spectant, praesertim in arte catechetica et homiletica exercenda, in cultu divino et sacramentis celebrandis, in pastorali, attenta etiam eorum conditione propria, cum hominibus, etiam non catholicis vel non credentibus, commercio habendo, in paroecia administranda atque in ceteris pastoralibus muneribus adimplendis.

§ 2. Instituantur in variis efficacioribusque apostolatus formis, necessitatibus loci ac temporis aptatis (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 20; Decr. *Christus Dominus*, nn. 17-18; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9).

§ 3. Edoceantur alumni de universae Ecclesiae necessitatibus, de quaestionibus oecumenicis, de missionalibus, necnon de aliis, socialibus quoque, in variis terrarum partibus urgentioribus (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 20; Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 17, 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 39; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4 Paulus VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio*, 2 apr. 1967: *AAS*, 49 [1967], pp. 257 ss.).

Ad § 1: Exc.mus Secretarius animadvertisit aliquam dari tautologiam in ista §, cum institutio pastoralis per aliquid pastorale definiatur.

Post varias propositiones textus sic probatur: «Diligenter... in cultu di-vino, praesertim sacramentis celebrandis, in commercio cum hominibus... non creditibus, habendo, in paroecia... in ceteris muneribus adim-plendis».

Ad § 2: Omnes conveniunt ut supprimatur.

Ad § 3: Textus qui probatur sequens est: «Edoceantur... necessitati-bus, ita ut sollicitudinem habeant de quaestionibus missionalibus, oecume-nicis necnon de aliis, socialibus quoque urgentioribus».

Can. 29 (CIC 1365, § 3)

Ut apostolatus exercendi artem in opere ipso etiam addiscant, alum-ni, sive studiorum curriculo decurrente sive feriarum tempore, praxi pa-storali initientur per oportunas, sub moderamine sacerdotis periti habi-tas, exercitationes, alumnorum aetati et locorum condicioni aptatas, de iudicio Episcopi, determinandas (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 21).

Ex propositione Exc.mi secundi Consultoris aliquae modificationes in-troducuntur, quapropter textus probatus sequens est: «Ut... alumni, stu-diorum... decurrente praesertim vero feriarum tempore... sub moderami-ne semper sacerdotis periti, exercitationes...».

Can. 30 (novus)

Quo formatio neo-sacerdotum etiam post Seminarium perficiatur Epi-scoporum Conferentiae, si id expedire iudicaverint, in Institutionis sacer-dotalis Ratione, statuere valent ut iidem certo tempore, per aliquot dies singulis hebdomadis, studiis rerum pastoralium vacent, aut alia ratione per determinatum tempus in re pastorali aptius instituantur (cf. S.C. pro Cle-ricis, Litterae circulares *De permanenti cleri, maxime iunioris, institutione et formatione*, 4 nov. 1969, nn. 16-21).

Exc.mus primus Consultor animadvertisit quod in textu istius canonis de neo-sacerdotibus agitur, dum nunc tractatio est de institutione clericorum.

Omnis conveniunt ut supprimatur, eo vel magis quod, sicut animad-vertisit Rev.mus Relator, res iam in alio schemate habetur.

Can. 31 (CIC 1357) (qui fit 30)

§ 1. Episcopo diocesano, aut si de Seminario interdioecesano agatur Episcopis quorum interest, competit quae ad Seminarii supremum regi-

men et administrationem spectant decernere, attentis praescriptis a Sancta Sede necnon ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Episcopus dioecesanus, et si de Seminario interdioecesano agatur Episcopi quorum interest, frequenter Seminarium per se visitent, in formationem suorum alumnorum spiritualem et ecclesiasticam necnon quae in eodem tradatur philosophicam et theologicam invigilent, et de alumnorum vocatione, indole, pietate ac profectu cognitionem omni ope sibi comparent, maxime intuitu sacrarum ordinationum conferendarum.

Placet § 1.

Placet § 2 cum sequentibus emendationibus: «aut» loco «*et si de Seminario*» (secundus Consultor); «*ipsi*» loco «*per se visitent*» (quartus Consultor); auferatur «*omni ope*» (Secretarius).

Can. 32 (CIC 1360, § 1) (qui fit 31)

Rectori, cuius est cotidianum moderamen Seminarii, ad normam Institutionis sacerdotalis Rationis ac Seminarii Ordinationis, curare, in propriis muneribus adimplendis omnes obtemperare debent.

Placet cum aliqua verborum transpositione: «Rectori... moderamen curare Seminarii, ad normam quidem institutionis... Ordinationis, omnes in propriis muneribus adimplendis obtemperare debent».

Can. 33 (CIC 1369, §§ 1 et 3) (qui fit 32)

§ 1. Seminarii Rector, itemque, sub eiusdem auctoritate, moderatores et professores current ut alumni normas Ratione Institutionis sacerdotalis necnon Seminarii Ordinatione praescriptas adamussim servent.

§ 2. Sedulo provideant Seminarii Rector atque studiorum moderator ut magistri suo munere rite fungantur, secundum praescripta Rationis Institutionis sacerdotalis ac Seminarii Ordinationis.

Placet.

Can. 34 (CIC 1368) (qui fit 33)

Exemptum a regimine paroeciali Seminarium esto: et pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto can. (891), obeat Seminarii Rector eiusve delegatus.

Placet.

Can. 35 (novus) (qui fit 34)

Seminarii constitutioni et conservationi, alumnorum sustentationi necnon professorum remunerationi providere debent Episcopus dioecesanus, aut, si de Seminario interdioecesano agatur, pro rata parte singuli Episcopi dioecesani quorum alumni in Seminario instituuntur.

Ne tota Seminarii et professorum sustentatio in Episcopum personaliter incidat, Exc.mus Secretarius proponit ut maius pondus in dioecesi transferatur, quapropter textus hoc modo modificatur: «Episcopus dioecesanus aut, si de Seminario interdioecesano agatur, pro rata parte singuli Episcopi dioecesani quorum alumni in Seminario instituuntur, curare debent ut provideatur Seminarii constitutioni et conservationi, alumnorum sustentationi necnon professorum remunerationi».

Can. 36 (novus) (qui fit 35)

Anno ineunte Coetus deputatorum Seminarii de quo in can. 8 § 4, conficiat quaestuum et erogationum quae pro Seminarii administratione praevidentur rationem, annoque vertente accepti atque expensi rationem, ab Episcopis quorum interest probandas.

Placet.

Can. 37 (CIC 1355) (qui fit 36)

Ut Seminarii constitutioni et conservationi atque alumnorum professorumque sustentationi provideatur, si proprii reditus deficiant, possunt Episcopi:

1º parochos aliasque ecclesiarum, etiam exemptarum, rectores iubere ut statis temporibus in ecclesia ad eum finem stipem exquirant;

2º tributum seu taxam in dioecesi imperare.

Can. 38 (CIC 1356) (qui fit 37)

§ 1. Tributo pro Seminario obnoxia sunt, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet privilegio, mensa episcopal, quaelibet paroeciae, quamvis alias reditus quam fidelium oblationes non habeant, christifidelium consociationes publicae itemque privatae quae personalitate iuridica in Ecclesia gaudent, necnon domus religiosae, etsi exemptae, nisi solis eleemosynis sustententur aut in eis collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur.

§ 2. Tributum de quo in § 1 debet esse generale, reditibus eorum qui eidem obnoxii sunt proportionatum atque iuxta necessitates Seminarii determinatum, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae regionis, a Sancta Sede probanda.

Placet, mutato verbo «religiosae» cum «domus *Institutorum vitae consecratae*» in § 1.

Exc.mus Secretarius vellet ut aliqua dicantur de christifidelium obligatione ad sustentationem Seminarii quod attinet.

Exc.mus primus Consultor proponit ut inseratur n. 3º in can. 37.

Tamen res cadit, sed Exc.mus primus Consultor optat ut in actis referatur.

DE LIBRIS ET INSTRUMENTIS¹ COMMUNICATIONIS SOCIALIS

Can. 1 (novus)

Ecclesiae pastores, quippe quorum est veritates fidei annuntiare ac tueri necnon morum integritatem tutari, current ut ministerio verbi praesertim fidibus proferatur officium quo tenentur prospiciendi ut cooperentur ad fidei veritates integre proponendas et servandas moresque sartas habendas, necnon providendi ne scripta aut instrumentorum communicationis socialis usus fidei aut moribus documento sint (Decr. *Inter mirifica*, I, n. 3).

Rev.mus quintus Consultor petit ut canon modo magis positivo enuntietur ad modum can. 9 de Magisterio in genere, vel saltem can. in duas paragraphos dividatur. In § 1 dicatur de officio cui fideles tenentur cooperandi ad fidei veritates diffundendas etc... et in § 2 ponatur textus n. 3 Decr. *Inter mirifica*.

Rev.mus quintus Consultor, ex parte sua Commissionis, sequentem textum proponit:

§ 1. Nomine instrumentorum communicationis socialis veniunt prelum, cinematographum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi technicae artis inventa, quorum vis est cuiusque generis nuntia hominibus prompte ac late communicandi.

¹ Quaestio de titulo mota est a Rev.mo quinto Consultore. Post disceptationem omnes conveniunt ut novus titulus sit: «De instrumentis communicationis socialis et in specie de libris».

§ 2. Quatenus eorum usus ad fidei praedicationem, christianam educationem omnemque de animarum salute operam atque ad populorum progressionem fovendam est necessarius vel valde utilis, Ecclesiae fas est ea libere adhibendi; immo Ecclesiae nativum ius est ea instrumenta possidenti vel utendi.

§ 3. Sacri Pastores suum munus in hac provincia explere properent instrumenta communicationis socialis in apostolatus operibus adhibendo, prout rerum et temporum adjuncta exposcent; omnes christifideles, praesertim ii qui accepto munere his instrumentis laborant, ita actioni pastorali adiutricem operam praestent, ut Ecclesia iisdem instrumentis efficaciter uti possit (cf. Decr. *Inter mirifica*, 1, 2, 13).

Tamen, post sat longam disceptationem, en textus qui probatur:

« §1. Ecclesiae pastores quippe quorum est veritates fidei annuntiare ac tueri necnon morum integritatem tutari, in hoc suo munere explendo, iure Ecclesiae ad normam can. LEF proprio utentes, instrumenta communicationis socialis adhibere satagant.

§ 2. Iidem pastores curent ut fideles edoceantur se officium teneri cooperandi ad fidei veritates diffundendas, integre proponendas et servandas moresque sartos tectos habendos, necnon providendi ut scripta et instrumentorum communicationis socialis usus humano christianoque spiritu vivificantur.

§ 3. Omnes Christifideles, ii praesertim qui quoquo modo in eorumdem instrumentorum ordinatione aut usu partem habent solliciti sint operam adiutricem actioni pastorali praestare, ita ut Ecclesia etiam iisdem instrumentis munus suum efficaciter exerceat» (Decr. *Inter mirifica*, I, nn. 1, 2, 3, 13).

Can. 2 (CIC 1384, § 1)

§ 1. Ut veritatum fidei morumque integritatem servent ac tueantur, ius est Ecclesiae pastoribus invigilandi ne christifideles scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis detrimento sint fidei aut moribus; item exigendi ut quae fidem moresve tangent scripta edenda aut orationes instrumentis communicationis socialis diffundendae, suae approbationi subiificantur; necnon prohibendi quominus christifideles libros fidei aut bonis moribus contrarios legant, immo vel retineant aut vendant, aut cum aliis communicent.

§ 2. Ius de quo in § 1 competit Episcopis, tum singulis tum in Conciliis particularibus Episcoporumve Conferentiis adunantis quoad christifi-

deles suae curae commissos, atque supremae Ecclesiae auctoritati quoad universum Dei populum.

Ad § 1: Placet, tamen, proponentibus Exc.mis primo Consultore et Secretario necnon Rev.mo Relatore, adiungatur «officium et» ante «ius est Ecclesiae».

Ad § 2: Exc.mus primus Consultor difficultatem movet circa Episcoporum Conferentias, quia textus nimis latus est.

Respondet Rev.mus Onclin textum ad literam haberi in Decreto S. Congregationis pro Doctrina Fidei *De Ecclesiae Pastorum vigilantia circa libros*.

Placet textus, tamen eius initium est: «Officium et ius de quibus in § 1 competunt Episcopis...».

Can. 3 (CIC 1385, § 2; 1384, § 2)

§ 1. Nisi aliud statuatur, loci Ordinarius, cuius approbatio ad libros edendos iuxta canones huius tituli est petenda, est loci Ordinarius proprius auctoris aut Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, aut Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si eorundem quis approbationem denegaverit, non liceat auctori eandem ab alio petere, nisi eundem de denegata ab alio approbatione certiorem faciat.

§ 2. Quae in canonibus huius tituli statuuntur de libris praescripta, quibuslibet editis scriptis applicanda sunt, nisi aliud constet.

Ad § 1: Placet, demptis verbis «aut Ordinarius loci in quo imprimantur»; loco «si eorumdem quis» dicatur «si eorundem alteruter»; «ab alio petere» substituatur cum «ab altero petere» et in fine tollatur «ab alio».

Ad § 2: Proponente Rev.mo quarto Consultore, melius est ut redactio decreti S. Congregationis pro Doctrina Fidei in textu assumatur, quae magis patet: «Quae in canonibus huius tituli statuuntur de libris praescripta, quibuslibet scriptis divulgationi publicae destinatis applicanda sunt, nisi aliud constet». Placet.

Can. 4 (CIC 1385 § 1, nn. 1, 3; 1391)

§ 1. Libri Sacrarum Scripturarum edi non possunt nisi quae aut ab Apostolica Sede aut a loci Ordinario approbati sunt; itemque eorundem versiones in linguam vernaculam ut edi possint, requiritur ab eadem auctoritate sint approbatae atque insimul necessariis et sufficientibus explicacionibus sint instructae.

§ 2. Versiones Sacrarum Scripturarum, communi etiam cum fratribus seiunctis opera, parare atque edere possunt christifideles catholici, de consensu loci Ordinarii (cf. Const. *Dei Verbum*, nn. 22, 25).

Placet §§ 1 et 2.

Can. 5 (CIC 1390)

§ 1. Libri liturgici itemque eorum versiones in lingua vernacula in eorumve partes ne edantur nisi de mandato Episcoporum Conferentiae atque sub eiusdem vigilancia, approbante etiam Apostolica Sede.

§ 2. Ut iterum edantur libri liturgici qui a Sede Apostolica probati sunt necnon eorum versiones in lingua vernacula ad normam § 1 factae et approbatae, eorumve partes, constare debet de concordantia cum editione approbata ex attestacione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici iuris fiunt.

Ad § 1: Exc.mus primus Consultor preferret ut dicatur «praevia confirmatio Apostolicae Sedis» loco «approbante etiam Apostolica Sede» — cui tamen contradicit Rev.mus Relator et textus manet prouti est.

Placet § 2, demptis verbis «imprimuntur aut».

Additur § 3, cuius textus est: «Libri quoque preces ad orationem privatam proponentes ne edantur nisi de licentia loci Ordinarii».

Can. 6 (CIC 1385, § 1, n. 2)

§ 1. Commendatur ut approbationi Ordinarii subiiciantur libri qui quaestiones ad Sacram Scripturam, ad Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius canonicum, Theologiam naturalem, Ethicam aliasve religiosas aut morales disciplinas pertinentes spectant, necnon scripta in quibus aliquid habeatur quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit.

§ 2. Libri de quibus in § 1, tantummodo si cum approbatione loci Ordinarii editi sint, in scholis sive elementariis, sive mediis sive superioribus, adhiberi possunt uti textus quibus innititur institutio quae traditur.

Exc.mus Secretarius suggesterit ut textus art. 4 declarationis S. Congregationis pro Doctrina Fidei integer assumatur. Placet aliis, sed proponitur a Rev.mo quarto Consultore ut n. 4 eiusdem articuli tollatur.

Propositio, cum controversa sit, per suffragium dirimitur. Suffragium est: 5 contra 4, ideoque n. 4 suppressus remanet.

Rev.mus quintus Consultor vellet ut in textu sermo institueretur de libris, qui exponuntur et venduntur in officinis librariis, quae a religiosis ducentur.

Post disceptationem omnes convenient ut post can. 11 (uti can 11 bis) sequens ponatur textus: «Enixe commendatur Christifidelibus, praesertim clericis et sodalibus Institutorum vitae consecratae, ne edant, vendant aut cum aliis communicent libros qui doctrinae catholicae aut bonis moribus nocumento esse possunt».

Can. 7 (CIC 1387)

Scripta quae ad causas beatificationis et canonizationis servorum Dei pertinent, sine licentia S. Congregationis pro causis Sanctorum edi nequeunt.

Placet.

Can. 8 (CIC 1389)

Collectiones decretorum aut auctorum ab aliqua auctoritate ecclesiastica editae, iterum edere non licet, nisi impetrato prius eiusdem auctoritatis assensu et servatis condicionibus ab eadem praescriptis.

Placet.

Can. 9 (CIC 1386)

In diariis, foliis aut libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonus mores manifesto impetere solent, ne quidpiam consribant christifideles, nisi iusta et rationabili de causa; clerci autem et Institutorum perfectionis sodales, tantummodo approbante loci Ordinario.

Rev.mus Relator quaerit num huic canonii addendus sit n. 1, art. 5 declarationis S. Congregationis pro Doctrina Fidei.

Disceptatione facta, omnes concordant ut alia addatur paragraphus quae sic sonet: «Episcoporum Conferentiae est normas statuere de requisitis ut clerci atque sodales Institutorum vitae consecratae partem habere valent in tractandis via radiophonica aut televisifica quaestionibus, quae ad doctrinam catholicam aut mores attinent».

Can. 10 (CIC 1385, § 3)

Institutorum perfectionis sodales ut scripta edere possint, licentia egent sui Superioris maioris ad normam Constitutionum.

Placet, tarnen loco «Institutorum perfectionis» dicatur «Institutorum vitae consecratae».

Can. 11 (CIC 1391, § 1)

Approbatio textus alicuius operis textui originali, non autem aliis editionibus nec translationibus eiudem operis suffragatur.

Placet.

Can. 12 (CIC 1393)

§ 1. Curiis episcopalibus praesto sint librorum censores, scientia, recta doctrina et prudentia praestantes, a loci Ordinario aut ab Episcoporum Conferentia designati.

§ 2. Censor, in suo obeundo officio, omni personarum acceptione seposita, prae oculis tantummodo habeat Ecclesiae de fide et moribus doctrinam, uti a Magisterio ecclesiastico proponitur.

§ 3. Censor sententiam suam scripto dare debet; quae si faverit, Ordinarius licentiam concedat ut editio fiat cum sua approbatione, expresso suo nomine necnon tempore ac loco concessae approbationis; quod si non detur approbatio, rationes denegationis cum operis scriptore Ordinarius communicet.

Post disceptationem textus six reordinatur:

Ad § 1: sumitur ex art. 6, n. 1 decreti S. Congregationis pro Doctrina Fidei.

Ad § 2: placet prouti est.

Ad § 3: desumitur ex n. 3, art. 6 praedicti decreti, quapropter:

§ 1. Integro remanente iure uniuscuiusque Ordinarii committendi, pro sua prudentia, quibus fidem facit, iudicium de libris personis in singulis regionibus ecclesiasticis ab Episcoporum Conferentia confici potest elenchus censorum, scientia, recta doctrina et prudentia praestantium, qui Curiis episcopalibus praesto sint, aut constitui commissio censorum, quam loci Ordinarii consulere possint.

§ 2. Censor, in suo obeundo officio, omni personarum acceptione seposita, prae oculis tantummodo habeat Ecclesiae de fide et moribus doctrinam, uti a Magisterio ecclesiastico proponitur.

§ 3. Censor sententiam suam... Ordinarius pro suo prudenti iudicio licentiam concedat... quod si approbationem non concedat, rationes denegationis... ».

DE SACRIS MISSIONIBUS
(CIC cann. 1350-1351)

Ad titulum quod attinet, Exc.mus primus Consultor praferret ut inscriberetur « De actione missionaria Ecclesiae ». Contradicit Rev.mus sextus Consultor, qui contrarius est mutationi.

Rev.mus quartus Consultor suggerit titulum « De activitate missionali Ecclesiae », uti in documentis Concilii Vatican II habetur.

Exc.mus primus Consultor notat « activitatem » non eandem extensionem habere quam actionem: ampliorem esse.

Disceptatione peracta, titulus est: *De actione Ecclesiae missionali*.

Can. 1

§ 1. Romano Pontifici, cui singulari modo munus christiani nominis diffundendi demandatum est, competit suprema directio et coordinatio inceptorum et actionum quae ad opus missionale atque ad cooperationem missionariam pertinent (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 6 et 29).

§ 2. Munus Evangelium ubique terrarum annuntiandi et diffundendi item competit Episcoporum Collegio, immo et singuli Episcopi, utpote Ecclesiae universae atque omnium Ecclesiarum sponsores, operis missionaris peculiarem sollicitudinem habent (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 6).

Placet canon, mutato verbo *habent* cum *habeant* in fine § 2.

Can. 2

Actio missionalis Ecclesiae perducitur usquedum novellae Ecclesiae plene constituantur in Ecclesias particulares, praecipuis quidem instructas mediis quae requiruntur ut opus evangelizandi per se ipsae peragere valeant (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 17; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 6).

Exc.mus Secretarius proponit ut post « Actio » adverbium « proprio »

adiungatur, quia dupli sensu verba « plantatio Ecclesiae » sumuntur: sensu, videlicet strictiore et sensu generaliore.

Rev.mus quartus Consultor animadvertis canonem per se ad realitatem non respondere. In illis territoriis habentur enim dioeceses iam constitutae quae tamen adhuc sunt plene missionales.

Notat Exc.mus primus Consultor in textu haberi « plene » praecise ad indicandum quod illae dioeceses non plene adhuc constituuntur.

Rev.mus sextus Consultor tenet illud « plene » ad illarum dioeceseon autosufficientiam sese referre.

Juxta sententiam Exc.mi Secretari textus Const. *Lumen gentium*, qui in fonte canonis citatur, non ad omnem actionem missionariam, sed ad praeconum missionem sese refert.

Post discepcionem, textus sic modificatur: « Actio proprie missionalis Ecclesiae praesertim in mittendis praeconibus perducitur usque dum novellae Ecclesiae plene constituuntur, quae scilicet propriis gaudent viribus atque sufficientibus instruuntur mediis ut opus evangelizandi per se ipsae peragere valeant ».

Can. 3

Missionarii dicuntur sacerdotes saeculares, Institutorum perfectionis sodales et christifideles laici, viri aut mulieres, sive autoctoni sive exteri, qui cum congrua naturali indole praediti sint ac dotibus et ingenio idonei iudicentur, a legitima auctoritate ecclesiastica ad opus missionale explendum mittuntur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 23).

Placet, tamen loco « sacerdotes saeculares » et « Institutorum perfectio-
nis » dicatur « clerici saeculares » et « Institutorum vitae consecratae ».

Can. 4

§ 1. Missionarii, vitae exemplo ac verbi testimonio, iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, dialogum sincerum cum nondum in Christum credentibus instituant, ut ipsis, ratione eorundem ingenio et culturae apta, aperiantur viae quibus ad Christi evangelicum nuntium cognoscendum adduci valeant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 11-12).

§ 2. Curent etiam ut quos ad evangelicum nuntium admittendum aestiment aptos, veritates fidei edoceant, habita ratione proprii eorundem ingenio et culturae, ut, libero plene consensu si id petant, ad baptismum recipiendum admitti possint.

Ad § 1: Placet, sed tollatur verbum «exemplum» et locutio «iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas» ponatur post verbum «sincerum».

Ad § 2: Placet, demptis verbis «habita ratione proprii eorumdem ingenii et culturae», quia iam in § 1 dictum est.

Can. 5

§ 1. Qui voluntatem fidem in Christum amplectendi manifestaverint, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum.

§ 2. Catechumeni, per vitae christianaे institutionem et tirocinium, apte initiantur mysterio salutis atque introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis populi Dei.

§ 3. Episcoporum, sive singulorum sive in Conferentiis adunatorum, est statuta edere quibus catechumenatus ordinetur, determinando quaenam a catechumenis sint praestanda atque definiendo quaenam eis agnoscantur praerogativaе (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 13-14).

Exc.mus Secretarius quaestionem movet de normis catechumenatus quae cum *Praenotanda* novi Ordinis Baptismatis congruere debent.

Adest insuper adspectus generalis quaestionis quia catechumeni non proveniunt tantum ex missionum territoriis sed ex undique. Possunt ideo forsitan normae aliquae inseri ubi tractatur de personis.

Exc.mus primus Consultor tenet etiam ubi de baptismate aliquid dici posse.

Rev.mus sextus Consultor quaerit utrum nullibi in Codice de catechumenatu tractetur necne. Ei non placet quod sermo de catechumenatu ubi de personis instituatur, quia persona est quae iam baptismum recepit. Ceterum in schemate canonum de Sacramento Baptismatis adest tantum aliqua mentio de catechumenatu, quae sufficiens non est.

Rev.mus Relator proponit ut hi canones ubi de baptismate transfrantur.

Exc.mus tertius Consultor animadvertisit etiam hoc in loco catechumenatum proprium locum invenire, cum pars potior de sacris missionibus sit.

Rev.mus Relator proponit ut in canonibus de baptismate nota apponatur ad hos canones. Placet propositio.

Ad § 1: Textus probatus sequens est:

«Qui voluntatem fidem in Christum amplectendi manifestaverint,

expleto tempore praecatechumenatus, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum, atque eorum nomina scribantur in libro ad hoc destinato, ad normam legis liturgicae».

Ad. § 2: Placet, addito tamen in fine «et apostolatus».

Ad. § 3: Placet, additis verbis «ad normam legum liturgicarum» post «in Conferentiis adunatorum» ad satisfacienda ea quae in n. 20 *Praenotanda* novi Ordinis Baptismatis continentur. Adiungatur particula «etiam» post «ordinetur».

Can. 6

Neophyti, cum baptimate regenerati et in populo Dei recepti sint, idoneis institutis ad veritatem evangelicam penitus cognoscendam et officia baptimate suscepta apte implenda efformentur; sincero amore erga Christi Ecclesiam et spiritu oecumenico imbuantur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 15).

Post disceptationem et varias propositiones textus qui probatur est sequens:

«Neophyti, utpote baptimate... recepti, apta institutione ad veritatem... erga Christum eiusque Ecclesiam imbuantur, spiritu oecumenico quoque attento».

Can. 7

Missionarii curent non tantum ut eos pascant qui ad populum Dei iam pertinent, sed ut evangelicum nuntium eis quoque praedicent qui foris sunt.

Omnes Consultores convenient quod canon non sustineatur, ideo superprimendus sit.

Can. 8 (qui fit 7)

§ 1. In opere missionali adimplendo uti cooperatores assumantur catechistae, qui nempe continuo labore sese devoent ut viam evangelizationi parent atque missionariis adiutorio sint; quare efformentur catechistae, sive in scholis ad hoc destinatis, sive, ubi desint, sub moderamine missionariorum (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 17).

§ 2. Ad auxilium praestandum a loci Ordinario aut ab ipsis missionariis, de consensu proprii Ordinarii, vocari possunt catechistae auxiliares,

qui scilicet ad tempus aut partim operi missionali vires suas dedicant (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 17).

Placet.

Can. 9 (qui fit 8)

§ 1. Iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, Episcopi est in suo territorio:

I° promovere, moderari et coordinare quae ad actionem missionalem spectant incepta et opera (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 30);

2° normas edere quae ad praeparationem pastoralem suorum missionariorum et catechistarum pertinent (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, passim);

3° curare ut debitae ineantur conventiones cum Moderatoribus Institutorum quae operi missionali se dedicant, utque relationes cum iisdem in bonum cedant Missionis (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 32);

4° operam dare ut etiam in christifidelibus laicis suscitetur spiritus missionarius (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 21).

§ 2. Praescriptis ab Episcopo editis, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt, subsunt omnes missionarii, etiam Institutorum exemptorum sodales, eorumque auxiliares in eius ditione degentes.

Proponente Exc.mo primo Consultore, in § 1, post «Episcopi» et in § 2 post «Episcopo» additur respective «dioecesani» et «diecesano».

Placet §§ 1 et 2.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit nullum sermonem haberi de ratione Episcopum inter et instituta specifica missionaria.

Respondet Rev.mus sextus Consultor hic agi tantum de evangelizandi munere, ideoque illas conventiones locum suum hic non obtinere.

Can. 10 (qui fit 9)

Episcoporum Conferentiae diversarum regionum opera instituant ac promoveant, quibus qui e terris missionum laboris aut studii causa ad territorium suum accedunt, fraterne recipiantur et congruenti pastorali cura adiuventur (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 38).

Placet.

DEI FIDEI PROFESSIONE
(CIC cann. 1406-1408)

Can. I (CIC 1406 et 1408)

Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

1° coram praeside eiusve delegato, omnes qui Oecumenico aut particuli Conilio aut Synodo diocesanae intersunt cum voto sive deliberativo sive consultivo aut tanquam Periti; praeses autem coram Conilio aut Synodo;

2° coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum, et S.R.E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;

3° coram delegato ab Apostolica Sede, omnes promoti ad episcopatum, itemque promoti ad regimen Abbatiae vel Praelatura cui proprius est populus, aut ad regimen Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae;

4° coram Collegio deputatorum aut Capitulo Cathedrali, ad normam can. ..., administrator dioecesanus;

5° coram Episcopo dioecesano eiusve delegato, Vicarii generales et Vicarii episcopales;

6° coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, qui ad canonicatum promoti sunt necnon qui in Capitulo munus praesidis exercent;

7° coram loci Ordinario eiusve delegato atque coram aliis membris, qui membra eliguntur aut nominantur Consilii presbyteralis aut pastoralis;

8° coram loci Ordinario eiusve delegato parochi aliquique quibus committitur officium quod curam animarum amplectitur; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio suscepti muneros; promovendi ad ordinem diaconatus; itemque alii quibus id imponitur decreto sive Apostolicae Sedis sive Episcoporum Conferentiae;

9° coram Ordinario loci in quo sedem habet Universitas vel Facultas aut coram Superiore Instituti religiosi aut saecularis ad quod pertinet Universitas vel Facultas, eorumve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis catholicae, initio suscepti muneros; coram eodem Ordinario aut eodem Superiore, eorumve delegato, aut coram Universitatis Facultatis Rectore, si

sit sacerdos, professores omnes Universitatis vel Facultatis canonice erectae, initio suscepti muneric; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur;

10° coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit, eorumve delegato, Superiores in Institutis perfectionis clericalibus.

Post disceptationem, hae quae sequuntur modificationes in textum in-ducuntur: adiungitur « personaliter » post « emittendi ».

Supprimuntur nn. 6° et 7°. N° 2 hoc modo mutatur: « Promoti ad cardinalitiam dignitatem iuxta Sacri Collegii leges ». In n. 4, loco « deputatorum » dicatur « consultorum ». Textus n° 9 (qui nunc fit 7°) sequens est: « Coram Ordinario... aut coram Moderatore Instituti vitae consecratae ad quod pertinent... aut eodem Moderatore, eorumve... professores catholici Universitatis... muneric » suppressis verbis « itemque... donantur ». N. 10° (qui nunc fit 8°) sequens est: « coram Capitulo vel Moderatore qui... dele-gato, Moderatores in clericalibus Institutis vitae consecratae ».

Can. 2 (CIC 1407)

Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem aut coram laico emititt.

Inter Consultores disputatur utrum in textu laici mentio facienda sit necne. Quaestio ab alia dependet, num, nempe, laicus capax iurisdictionis ecclesiasticae esse possit. Res evidenter non definitur, quia haec sedes apta non est; ceterum, etsi res theologice clara nondum est, legislator semper potest solis clericis iurisdictionem ecclesiasticam tribuere et delimitare. In fine disceptationis, proponente Exc.mo tertio Consultore, convenit ut in can. 1, post verbum « emittendi » adiungatur, sicut superius notatum est — « personaliter » et ideo quaestio vitatur.

Canon 2 igitur cadit.

Antequam sessioni finis imponatur, ad systematicam huius schematis quod attinet, omnes convenient ut: 1) caput de institutione clericorum ad canones de clericis transferatur; 2) caput de actione missionali Ecclesiae uti III ponatur.

Hoc modo ordo systematicus erit sequens:

- I) De Magisterio in genere.
- II) De Divini Verbi ministerio.
- III) De actione missionali Ecclesiae
- IV) De educatione christiana

V) De instrumentis communicationis socialis

VI) De Fidei professione.

Explicit hoc modo ordo laborum huius Coetus Consultorum ad recognitionem canonum de Magisterio Ecclesiastico.

Exc.mus Castillo, Commissionis Secretarius, gratias omnibus rependit pro peracto labore.

Romae, die 7 maii 1976.

M. DE NICOLÒ

Actuarius